



ITALIAE
 TOTIVS ORBIS OLIM DOMINICIS NOVA ET EXACTISSIME DESCRIPITO
 IACOBO CASTALDO AVCTORE
 Antwerpina celebrat Gerardus de Jode anno 77
 Cum privilegio



OCCIDENS
 Ponente

ORIENS
 Levante

SEPTENTRIO
 Septentrionalis

MERIDIES
 Meridionalis

Gradus isti latitudinis sunt, quorum quilibet continet miliaria Italica sexaginta.

ITALIA.

lacionem pertulit. Has authorū diuisiones ascribere libuit, vt omnes omnium temporum Italiae partitiones quoad fieri possit, curiosis lectoribus in promptu essent. Aelianus author affirmat olim in Italia 1166. vrbes extitisse, Guido Presbyter Rauennas ex igneo, qui de vrbibus Italiae scripsit, eius tēporibus septingentas fuisse, aliter quam nunc instituto & more Ecclesiae Romanae fit, quo ciuitates illae tantum appellari solent, vbi Praesideat Episcopus. Hac porro ratione nostro seculo plus trecentas ciuitates Italiam habere censemus. Euidentes autem Italiae calamitates adeo fuere, vt si maximè nunc oppida, castellaque momenti alicuius inter vrbes referas, ad antiquum tamen numerum haud sis peruenturus. Italia vniuersa à Plinio Solinoque folio maximè querno assimulatur, vt proceritate sit amplior quam latitudine, in latum se flectens cacumine, & Amafonica figura desinens Parmae. Vbi à medio excursu Cyathos vocatur, Perlinus Lunatos duo cornua emittens Leuca petram dextram, Lacinium sinistra. Recentiores eam integri cruris humani ab coxendice ad imum pedem effigie pingunt, quam speciem nos putamus esse conuenientissimā. Habet aut Italia Pen insulae speciem, tribus lateribus mari circumfusa: Eam Polybius hoc modo definit. Omnis (inquit) Italia trianguli figuram habet, latus quod Orientem spectat Ionio mari & sinu Adriatico terminatur, quod verò in Meridiem & Occasum vergit, Siculo & Tyrrheno clauditur pelago. Haec latera inuicē copulata, trianguli apicem faciunt propositū Italiae promontorium, quod Corynthus incolae vocant, & Meridianam regionem spectas Ionium ac Siculū mare diuidit. Tertium latus quod ad gelidissimum Septentrionis axem, & Mediterranea loca protenditur, continuatio terminat Alpium, quae à Mafilia & locis supra Sardoum pelagus fitis incipientes vsque ad intimū maris Adriatici sinum, continuè extenduntur, exiguo quodam spatio in medio relicto. Strabo Italiam hoc modo tum describit, tum celebrat. Instar est Insulae (inquit) quā tuta in circuitu maria custodiunt, paucis exceptis partibus, quae tamen in accessis vti muro, mōtibz, vallatae littora sunt plerunque importuosa quosque portus habent, ij cum amplitudine, tum excellentia mirabilis, & aduersus externam vim tutissimi, nec minus ad excursiones opportuni, ac mercibus exportandis, aduehendisque commodi & frequentes. Aëris hic in vniuersum mira temperies, cuius vitalis perennisque salubritas, animalia, arbores, breuiter quicquid ad vsum humanae vitae commodum ac vtile esse potest, siue necessitati, siue voluptatibus paratum varietate mirabili generat, lōgitudine à Septentrione in Austrum maximè procurrit, additaque Siciliam habet, eadem qua ipsa conditione ac natura caeli temperiem & intemperantiam pro caloris ac frigoris, vel raritate, vel vi, aut mediocritate patitur. Itaque cum tanta proceritate, inter vtramque caeli conditionem incedat, plurimum temperatae regionis naturam obtineat, & plurifariam necesse est. Summa quoque felicitas eius alia ratione contingit, quod Apennini perpetuis iugis per medium tendentibus, assurgens, vtrinque fructiferos colles, itemque campos habeat, ideoque nulla parte non simul & campestribus & montanis fruatur bonis. Adde lacuum & fluuiorum amplitudinem ac numerum, frigidos calidosque fontes, quos ad mortalium salutem munifica parens natura, pluribus in locis comparauit. Quid metallorū varietas? quid alimentorum pabulique mortalibus à pecori parati copia? quid fructuum vbertas, generositasque? quo tandem morari queat opere? Nationes inter amplissimas, & ipsam Graeciam, Asiaeque partes excellentissimas consistens media, ob dotium & virtutum praestantiam, numine deū electa videtur, quae sparsa terrarum congregaret imperia, facultatemque ad id vicinitas dedit. Haec ex Strabone: Verum vt ipsius Italiae laudes, qualitatemque vnā abtoluam, visum est Guilielmi Kyriandri interpretis doctissimi, Leandri praconium de ea hinc ascribere. Is mihi (inquit) id pace gentium mundi reliquarū dicere liceat. Italiam videre atque cognoscere, in primis esse operapretium: Nam si varias superiorū formas, si bene, melius, atque optimè constitutas republicas, si leges diuersas, si praclaros homines & ingenia, disciplinarum etiam & artium omnium alumnos, si morum non modo

optimorum, sed etiam pessimorū exempla, si corruptelas, montium asperrimaque iuga, condiciones agrorum varias, facultates omnium rerum, & contra virtutum incitamenta diuersa, si mortalium numerum dissimiles vultus, exercitia penè innumerabilia, si regiones cultissimas, deserta quoque montium, asperrimaque iuga, condiciones agrorum varias, facultates omnium rerum quae terra cōtinet, inexplicabiles, si portus nobilissimos, & littora multorum marium vndis circumfusa, Ciuitates pulcherrimas, aedificia magnificentissima, nouarum vrbium res florentissimas, veterum miserandas reliquias, totius antiquitatis vestigia, virtutum cunctarum trophaea, vitiorum omnium monumenta, naturae operum varietatem infinitam. breuiter quicquid excogitari queat, si desideres, in Italia ni sit, extra Italiam haud quaerendum crediderim. Haecenus Kyriander: Fluminibus rigatur Italia plurimis, ac penè innumerabilibus, quorum praecipua sunt Tyberis, & Padus, Arnus, Vulturnus, Lofatus, Icfernus, Sanguineus, Piscarus, Druentus, de quibus in reliquis quoque suo loco traditur. Mons Italiae totius praecipuus est Apenninus, quem sic dictum ferunt ab Api prisco Duce, qui totam Italiam deuicit. Perpetuum montis huius iugum instar est Italiae dorfi, quod elatum Italiam deuicit, per mediam regionem sensim incedens, tandem in duo cornua diducitur, alteroque Siculum, altero Ionium mare respicit. Incipit autem Apenninus ab Alpibus Liguriae, perpetuisque iugis Italiam mediam interfecat, vsque ad Anconem. Cum verò Arimini & Anconis loca contigerint, Iapygiae latitudinem à mari ad mare terminant, rursusque flexu totam regionem in longū secant, vsque ad Picentes & Lucanos, nec multum ab Adriatico distant sinu. Cum verò Lucanis appropinquant, ad alterum inclinantur mare, dehinc per Lucanos & Brutios tendunt ad Leucopetram agri Rhogini terminantes. Syluarum, Thermarum, ac Minerarum singulas suis locis commemorabimus. Terminorum Italiae variam rationem postquam id nomen inuictū fuit apud authores inueniuntur. Primos Italiae fines Dionysius Halicarnasseus memorat, Neptuniam in littore Tyrrheni maris, & Tarentum. Strabo Fretum, Siculum, & amnem Aesim, ac deinde Rubiconem: Sed posterioribus seculis hi statuti. Flumen Varus, inde Linea per Alpes Coctias, montem Adulā, Alpes Rheticas, adiunctaque iuga. Porro ad amnem Arsam, Histriae terminum. Hoc vnum latus. Caetera mare Adriaticum, Ionium, Siculum, Tyrrhenum ac Ligusticum, ab Occasu Alpes, quae Gallia, Italiamque separant, ab ostio Vari vsque ad Adulam montem haerent. Incipit autem ab Occasu sub gradibus longitudinis 27. minut. 5. vbi Genua vrbs, desinitque in Oriente sub longitud. graduum 42. minut. 17. vbi Hydruntum. A Meridie initium sumit sub latitud. graduū 37. minut. 42. vbi locus qui incolis *Capo delle Arme* dicitur. Et in Septentrionem extenditur, vsque sub latitud. graduū 45. minut. 45. vbi Belgradum Fori-Iulij. Itaque sub medium quinti climatis, quod est per Rhodum vsque ad initium septimi, quod est per medium Pontum Euxinum. Ita vt parallelus eius Australis sit 11. vbi dies artificialis prolixior horarum 15. & $\frac{1}{2}$. Tota verò haec graduum distantia complectitur in longitudine quidem ab Occasu in Ortum milliaria Germanica quidē 179. seu Italica 716. In latitudine verò. i. à Meridie in Septentrionem Germanica 119 $\frac{1}{2}$. vel Italica 478. hoc verò hinc monemus sumpsisse nos totam hanc intercapedinem inter praedicta duo loca, quorum alter in Austrum maximè, alter in Septentrionē vergit, alioquin certè nullibi hanc Italicam latitudinem inuenias. Siquidem maximam latitudinem authores tradunt quadringentorum decem millium non amplius passuum, inter duo maria superum & inferum: vel Adriaticum & Ligusticum, ac amnes Arsam atque Varum: At adiam quae ferè circa vrbem Romam, ab ostio Aterni amnis, ad Tyberina ostia centum triginta senum. Sed arctissimam inter Pontū Magnae Graeciae, nunc Calabriae, qui Annibalis castra dictus, & Thyrrhenū pelagus, etenim ibi non amplius quadraginta millia colligere.


REGNUM NEAPOLITANVM.

Neapolitanum regnum à Neapoli nobilissima Campania
 talicis vrbe, vbi horum regum sedes est, appellatione for-
 titum est, ac pro variarum in ea regionū modo varijs etiā
 antiquitus nominibus appellabatur, priusquam in hac im-
 perij formam, quæ hodie est, deuenisset, hac enim ætate
 nouam vel opulentissimas amœnissimasq; totius Italiae regiones com-
 plectitur: Ea sunt, Latij pars, Capania fælix, Lucania, Calabria, Magna
 Græcia, Salëtni, Apuli Peucetij, Apuli Daunij, & Aprutium, quas nos
 suo ordine quoad commodissimū fieri poterit, prosequemur. Latium
 tamen quia in territorij Romani descriptione enumerauimus, non est
 quod hic repetamus. Quare Campaniam fælicem nunc aggrediamur.
 Campaniā igitur dictam volunt, vel quod Campetribus se locis pandat,
 vel à Capua nobilissima, opulentissimaque quondam vrbe. Cuius
 Incolæ Campani dicti sunt, vocata etiā Campania antiqua, vti à noua
 Capania Romana quæ Latium est, distingueretur: Fælix verò ab huius
 oræ felici beataque amœnitate. Postrema successit appellatio, terra
 laboris, quæ nunc in vsu vulgi est, quod ager regionis commodissimè
 facillimeque colatur & aretur: Nam id laborare sua lingua dicunt Itali,
 quidam tamen à campis Leborinis deductam volunt appellationem,
 quos Plinius Capuæ vicinos memorat. Hæc terram varijs temporibus
 variæ coluere gētes. Primum enim Opicos cognomine Ausones Cam-
 paniam tenuisse Strabo prodidit. Ausones deinde Osci subegerunt, eos
 Cumani eiecere. Cumanos magna parte pepulerūt Thufci, eos deinde
 exegere Samnites, hos ad vltimum populus Romanus debellauit. A
 Vulturno ad Sarnum vsque flu. tenuerunt Cumani. Picëtinorum verò
 ager, qui hodie Principatus appellatur, fines habuit ab Occasu Cam-
 paniam, à Septēt. Hirpinos, ab Exortu Silarum amnem & Lucaniam,
 à Meridie mare Tyrrhenum: vtraque tamen prouincia ad Campaniam
 pertinet. Cuius ciuitas Neapolis regni caput, vnde & nomē habet, vbi
 Principes illustresque viri summa frequentia cōcurrunt: Etenim vni-
 uerū fermè regni quod inter Adriaticū & Tyrrhenum mare ab amne
 Truento, & Fundis, vsque ad Fretum Messanæ continetur, partē Sam-
 nitium totam Apuliam, Calabriam, Lucaniā, Campaniamq; fælicem
 amplectens. Principes & Reguli maiorē anni partem hac in vrbe exi-
 gunt, ædesque splendidissimas ferè omnes habent: vnde Principum,
 Ducum, Marchionum, Comitum, Equitum, Doctorum, Barronum, ac
 nobilium hominum, & eiusdē conditionis mulierum plena confertaq;
 Neapolis est. Vrbs ipsa spacium amplectitur magnū, inter mare amœ-
 nissimolque colles ædificata magnificè, mœnibusque firmissimis con-
 septa, munitaque. Aedes cum diuorum tum hominum ornatissimas ac
 splendidissimas, arces penè inuidas habet. Inter hæc præcipua sunt D.
 Claræ templū cum Virgineo, opus mirabile: deinde est insigne D. Do-
 minici Fanum, Templum Cathedrale, quod Episcopiuū vocant. Aedes
 præ cæteris amplissimæ sunt Ducis Grauinēsis, item Salernitani Prin-
 cipis. Viæ ciuitates perelegates, directæq;. Curia quaternæ, quas Sedes
 appellant, Capuana, Nidenis, Montana, Diuique Gregorij, quo Prin-
 cipes, Duces, Marchiones, omnesque cæteri ordines ad consultandum
 communiter, ac de Rebus publicis conueniunt. Arces fortissimæ sunt.
 Castellum nouum, Capuanum, concilijs nunc habendæ attributum.
 Castellum Oui, modico extra urbē spacio in scopulo (Meagrū veteres
 appellabāt) cinctum mari. Castellum Santemerense in rupe, mœnibus
 vrbis imminente. Extra muros Australi parte moles in mari, opus arte
 summa factum conspicitur, ad Portus commoditatē atque tutelā, nau-
 bus ex omnibus orbis partibus perpetuò pleni. Gymnasium etiā om-
 nium disciplinarum Neapolis habet à Friderico secundo Imperat.
 Augusto fundatum, ac amplissimis prærogatiuis ornatum, ad quod stu-
 diosorum ex toto regno maximus fit concursus. Extra hanc ciuitatem
 ager amœnissimus & iucundissimus est, in cuius cōmendatione laudēq;
 nos cōmorari vetat breuitas, dicetur tamen in cōmune tum huius, tum
 reliquorum qualitas suo ordine. In Picentinis Amalphis vrbs est mari
 propinqua, à qua ora Amalphica dicitur, cuius Incolas magnetis vsū
 nauigātibus interdum noctuq; familiarē, adeoq; necessarium, reperisse
 ferunt. Est & in eadē ora Salernum antiqua ciuitas, à mari mille pass.
 Vrbis principatus titulo ornata. Gymnasium quoq; disciplinarū omniū
 habet, reliquarum vrbium enumeratione, quemadmodum & ab anti-
 quitatibus & reliquijs excisarū vrbium, quæ cum in hac parte, tum toto
 hoc regno penè infinitæ sunt, abstinemus breuitatis causa, qui illa requi-
 rit, ex Leandro Alberto, vnde hæc quoque sumpsimus, Blondo, Lino, ac
 alijs petat. Regionē hanc per se supra cōmendationis, ac omniū laudū
 dignitatē esse, propter omnium rerum in eo præstantiā excellentiamq;
 dubitare haud oportet. Halicarnasseus tribus anni cuiusque tēporibus,
 Vere, Aestate, Autumno, fructus in ea colligi, se oculis vidisse testatur,
 & Strabo scriptum se reperisse dicit, quibusdā Capaniæ locis, Zeam
 frumenti speciē iterum eodē anno feri, tertioq; panicum, sed & quarto
 holerū eodē in aruo femina. Zeam nonnulli genus id putāt, quod vulgò
 Speltam vocāt, alijs far placet. L. Florus, omnium inquit, non modò
 Italia, sed toto orbe terrarū pulcherrima Capaniæ plaga est, nihil mol-
 lius cælo: denique bis floribus vernat, nihil vberius solo. Ideoq; Liberi
 Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles
 portus, Cæta, Misenus, & repentes fontibus Baia. Hic amicti vitibus
 montes, Gaucus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omniū Vesuuus,
 ænæi ignis imitator &c. Circumscribitur autem Capania, hoc modo
 vt ab Oriente Silarus, & pars a gri Sānitium, à Meridie mare Tyrrhe-

num, ab Occasu Liris seu Gargilio, à Septentrione latera claudant,
 atq; hæc in vniuersum de Capania dixisse satis sit, dicēda iam Lucania.
 Altera itaque huius regni regio est Lucania, eam sic dictā putant, quod
 regio lucenti cuidā stellæ directò subiaceret. Alij Luciani quendam
 Samnitium ducē eius authorē tradūt, qui primò lucum hoc situ inco-
 luerit, hodie Basilicata vulgò dicitur. Hæc regio, id nomen quo tēpore,
 quaque occasione natū sit, negat se reperisse Leander. Hanc verò orā
 Strabo Pliniusq; authores sunt Pelagos, Oenotrios, Italos, Morgetes,
 Siculos, Magnæ Græciæ populos, nouissimè Lucanos tenuisse. Huius
 regionis nobilis vrbs est, Policastrum, circa mediū Pastani sinus ad-
 ficata, ac Ducatus titulo ornata. Itemque Copacia ciuitas olim admodū
 frequens ac opulenta, tituloque ducatus insignis, cæterum hac ætate
 propemodū deserta propter alluiones. Regio ferè mōtosa est vniuersa,
 idēque propter vias difficiles & horridas, nemorumque saltus, latro-
 cinijs habetur infesta. Lucanorū autē fines sunt ab Occidente Silarus
 amnis, Capaniæ limes, à Meridie mare Tyrrhenum, ab Oriente flumen
 Laus & Erutij, Magnæque Græciæ pars, à Septent. Peucetij in Apulis,
 cum Hirpinorum parte. Sequitur vt de Brutijs disseramus, regni huius
 tertia regione Brutiorum nomē inde natum putat Strabo, quod cum hi
 olim Lucanorum pastores ac serui essent, auferunt, seseq; pro liberis
 gesserint, Lucani autē rebelles & fugitios Erutios appellent. Trogus
 autē asserit sic dictos à Brutia muliere, quæ Castellū Prædonum Dio-
 nysio Sicilia Tyranno prodiderat, quo loco concurrentibus deinceps
 pastoribus noua vrbs constituta est, cuius Incolæ Brutios se ex nomine
 mulieris vocauerint. Dicta quoque olim est Oenotria prisca. Regio
 nunc vna cum Magna Græcia Calabria vocatur. Originē huius appel-
 lationis vnde sit, nō cōstat, quanquā Magnæ Græciæ partē Salentinis
 adhaerentem ad Ionium æquor, circa Iapygium extremum Italiae pro-
 montorium Calabros olim tenuisse legatur, eaque pars Græciæ etiam
 Messapia aliquādo vocata ab eorum Duce. Chones quoque Oenotria
 gens non obicura hanc regionē aliquādo tenuisse feruntur. Vrbes in ea
 sunt Nocera, & S. Euphemia ad sinum Hipponiatiæ. Itē Paula oppidū
 in Napetino sinu litore ab hoc oppido Paula, vsque ad Sancteuphemiā
 probatissimū Coraliū inuenitur. Deinceps est Crocia pulcherrima
 ciuitas, & post fretum Mamertinum Scyllæum promontoriū, seu sco-
 pulus Scyllæus, sub quo promontorio Scylla nominatissimus apud om-
 nes scriptores locus est, à quo tum ipse scopulus, tum propinqua nauium
 statio nomē habet. Circa hæc quoque promontoria Charybdis nomi-
 natissima scriptoribus, ad Sicilia est, nauigātibus admodū infesta. Ca-
 put verò ac Metropolis Brutorū est Consentia, penè circa declinatē
 Apennini montis sita. Vrbis cum primis hac ætate nobilis, opulenta ac
 honesta. Mediterranei tumē Brutij Incolæ plerunque fortunis inopes,
 moribus agrestes sunt, speluncis fermè, rudi admodum opere in montis
 excauatis habitāt, absque caminis, itemque cloacis, ad alui sordes exo-
 nerandas. Nec eiusmodi secessibus in vicis oppidisque solum, sed etiā
 in præcipuis vrbibus vulgò carent, quin etiam ostiorum ferè cloacæ in
 illis antris, vti plerunque sunt vicorū & oppidorū habitationes, à ligno
 fabricantur. Tota ferè hæc, tum Brutiorum, tum Magnæ Græciæ regio,
 quæ vno nomine Calabria vocatur, montibus ac vallibus fructiferis &
 conuallibus amœnis cōstat. Triticum, hordeū, aliæq; frumenti genera.
 Vinum itē varium, oleū, ficus, aliolq; fructus nobilissimos: Saccharū,
 mel, ceram, salem nauium, factitiumque, sed & aurum, argētum, lanā,
 gossypium, crocum habet, aliæq; similia. Serico tam abundat, vt in hac
 vna regione non minor eius quantitas, si conferatur, quā in omni Italia
 reliqua fiat. Hic lini canabisque summa copia, quin etiā de cælo māna
 pluit, res profectò admirabilis. Brutiorum autē fines hi sunt, ab Occasu
 Laus, itemque Lucani, à Meridie mare Tyrrhenum & fretum Siculū,
 ab Oriente pars Adriatici maris, à Septentrione Magna Græcia cum
 amne Grathi. nunc Magna Græcia perlustrāda venit. Id verò nominis
 huic regioni, alij Aborigines, alij Brutios indidisse tradunt, quod cum
 hic, tum in Lucanijs, Brutisque Græci ad nouas sedes quæredas patria
 digressi, diu conlitterint, vel vt nonnulli referant, ab ipsis Græcis sic
 dicta propter Italiae nobilitatem & excellentiā, ob quam ipsi hanc eius
 partē patrijs sedibus relicta, frequētissimè confederāt. Nunc verò vna
 cum Brutijs hæc Italiae pars eodē vnoq; nomine Calabria vulgò nun-
 cupatur. Hæc itaque loca olim Græci tenuere, Tarentini, Metapōtini,
 Crotonenses, Locrique, Cisalpina verò eius Galli. Nominantur verò
 & in hoc tractu Epizephyrij ab eiusdē nominis promontorio sic dicti,
 quod in agro locorum est portu oportunū ad ventos ab Occasu spirātes
 patente Zephyrum scilicet. Vnde nominis etiam origo, qui præsertim
 circa hoc promontorium spirat, ab ineunte Vere, ad AEstatis vsq; finē
 horis pomeridianis ingenti iucunditate. His circa Neethum flu. pro-
 pinqui suere Iapiges, qui ea loca primi tenuere. Vnde Iapigiæ regioni
 nomen fuit. Locri olim Italiae flos cum abundātia opū, tum hominum
 omnibus rebus excellentium frequentia, eratque primariū in hac vrbe
 literatorum ac studijs ditorū Gymnasium. Eius exigua vestigia nunc
 vix supersunt, vbi Palepolis, eodem tractu Croton vrbs fuit quā in pri-
 mis Milo Pythagoræ discipulus, robore corporis omniū Athletarum
 longè præcipuus illustrauit. Fuit & Sybaris vrbs opibus & portia egre-
 giæ florēs. Verum ingentem illā opum vim, quoniam delitijs atque luxu
 diffinebat Sybarita, spacio dierum 70. contra Crotoniatis belligeran-
 tes profuderunt, à quorum gula proverbium natum Sybaritica mensa.
 Eo verò tempore vrbe euersa haud procul eo loco noua vrbs condita
 est, Thu-



MARE INFERVM



SICILIAE PARS